

LVNÆ DIE 17 M. DECEMBRIS A. 2012

A.d. XVI Kal. Ianuarias a. MMXIII

I 7 I

# M E L I S S A



## FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA

AVSPICIIS DOMVS ERASMIANÆ ET ACADEMIÆ LATINITATI FOVENDÆ  
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS  
Gaius Licoppe

REDACTRIS  
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.  
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / www.fundatiomelissa.org  
Bureau de dépôt : 4210 Burdinne - n° d'agrément P912128



## ITER IN INSVLAM CYPRVM (22-29 IX 2012) (II)

- narrat *Francisca Deraedt* -


Illa regia sepulcra iuxta Salaminem, quæ, recordare bone lector, præterita occasione in eo eramus ut videremus, re vera regia non sunt sed, dicamus, nobilia; exstructa autem sunt octavo sæculo ante Christum natum. Quamquam ibi vix quicquam superstes, pleraque enim spoliata sunt, operæ tamen pretium est loca peragrare, ad quæ pertinet illa magnifica supellex in Nicosiæ museo modo conspecta. Agitur de sepulcro numero 79 signato, in quo præter currum, sellam, lectum aliasque res etiam inventa sunt ossa decem equorum funeris occasione mactatorum.

Haud longe abest monasterium sancti Barnabæ, qui in insula una cum Lazaro maxime colitur. Fuit enim ipse Iudæus Cyprus, consobrinus euangelistæ Marci apostolique Pauli amicus.

Famæ Augustæ (*Famagouste* sive *Ammóchostos* sive *Gazimagusa* – vide mappam geographicam p. 3) mox elegantissimam admiramur ecclesiam cathedralem sancto Nicolao olim dicatam, miraculum artis gothicæ, nunc incongruo minareto ornatam. Cum sæculo quarto decimo structores eius per infortunium non cogitavissent de Mecca respicienda, in interiore parte pulpitū sive *mibrab* modo minus usitato, quam in meschitis solet, positus est sanctæ urbis directionem indicans. Intus, certe, omnia ornamenta, picturæ, statuæ sunt deletæ, nihil superest nisi muri dealbati. Lala Mustapha Pasha, cui dicata est hæc meschita, perius fuit Othomanus qui urbem anno 1571 cepit: cum Veneti se ea promissa condicione dedidissent, ut militum vita servaretur christianique cultum religiosum servare sinerentur, multum re vera afuit: homines enim sive trucidati sive expulsi sunt, ac Marco Antonio Bragadino militum duci ante ecclesiam cathedralem cutis est publice necnon horribiliter evulsa.

In eadem urbe visu digna sunt mœnia a Venetis sæculo quinto decimo exstructa et arx, ubi Villelmus Shakespeare finxit drama *Othello*. Periegetæ turrim religiose invisunt, cuius historia tragœdiographus adductus est ut Othelli personam excogitaret.

Linea Viridi iterum transita, Larnacam nunc pervenimus sive Citium sive Græce Kition, in urbem antiquissimam quidem cum iam in Vetere Testamento commemoretur nomine Kittim, sed ab archæologis vix investigata, cum nova urbs exstructa sit supra ipsa historiæ monumenta. Postquam ibi anno 890 inventus est sarcophagus nomine Lazari signatus, imperator Leo VI postulavit ut sancti reliquiæ Constantinopolin reportarentur, locoque sepulcri ecclesiam curavit exstruendam. Quam cum lustremus, præparantur nuptiæ; mirans video sacerdotem panes in altari ponentem: adhuc ergo servatur vetus Romanorum usus, matrimo-



*Fama Augusta: ecclesia sancti Nicolai sive meschita Lala Mustapha Pasha.*

nium scilicet per confarreationem.

Paulatim tempus est Amathuntem (*Limassol*) petendi, ubi situm est alterum devorsorium nostrum, ‘Grand Resort’. Sed in itinere adhuc inspicienda est area præhistorica *Choirokoitia*, ubi inventæ sunt casæ rotundæ et habitationes septimi millenarii ante Christum natum. Quamquam paulo longius inventa sunt vitæ vestigia millenarii noni: inauditum, quo modo homines illis temporibus ad hanc longinquam insulam navigare valuerint.

Mercurii die museum archæologicum urbis *Limassol* videmus, minimum ut verum fateamur. Quamquam Lemesos antiquissima est colonia, haud multa nunc restant videnda: urbs enim a Medio Ævo multa est passa, terræ motibus diruta, anno 1371 a Genuensibus incensa, sæculo quinto decimo a classe Ægyptiaca direpta, ab Othomanis deleta, usque dum Angli tempore quo insulam regerent pauca, quæ supererant, assumpserunt ad res suas exstruendas.

In arce mediævali Richardus Cor Leonis nuptias olim celebravit cum Berengaria Navarrensi, nunc autem pulchrum museum mediævale est instructum. Ea invisa necnon municipali mercatu, cum cogitemus de prandio in hoc iucundo vico sumendo, ecce rædarius nos vi dicit quindecim chiliometris longius, ad arcem *Kolossi* vocatam, ubi tertio decimo sæculo, Ace (*St-Jean-d'Acre*) a Saracenis expugnata, Equites



*Kourion: sanctuarium Apollinis Hylatou.*

Hospitales ordinis sancti Iohannis prætorium colloca-  
verunt, at præterea nihil, ne cauponulam quidem,  
posteritati reliquerunt. Calamitas! Conclamant stomachi,  
querimur vehementer. Tandem aliquando paulo longius  
ducimur, iuxta litus maris ubi recentes pisces degusta-  
re licet.

Hic autem obiter oportet gratiam habere Hospita-  
libus Equitibus, qui iuxta arcem suam illo tempore non  
solum saccharum fecerint, sed etiam et præcipue vineam  
coluerint; eorum enim beneficio in hoc itinere nobis  
(cottidie, simus sinceri) frui licet delicato propomate  
«Commandaria» ea ratione vocato, quod Equites statio-  
nem suam vocare solebant «la grande commanderie».

Iuxta sunt vestigia antiquæ civitatis Kourion. Per  
Iovem, vivere sciebant isti Græci! Quam pulchre enim  
elegerunt urbis situm, ad oram maris prospicientem.  
Forum, theatrum, domos lustramus sudantes quidem,  
at nihilominus de tanta pulchritudine plurimum  
gaudentes.

Ultima domus antiqua, quam vergente iam die in-  
spicimus, anno 395 est terræ motu deleta. In ruderibus  
inventa sunt quattuor corpora: vir et femina amplexi  
puerulum protegentes, paulo longius puella faciem  
manu tegens et, in stabulo, mula.

Iovis dies erit totius septimanæ pulcherrimus.  
Paphos enim nobis promittitur, itineris, ut ita dicam,  
margarita, eximiis operibus musivis clarissima. Paphos,  
in cuius celeberrimo sanctuario ætate hellenistica cole-  
batur Venus Paphia. Hæc magna area archæologica,  
anno 1962 inventa, est a Polonis explorata.



*Petra tou Romiou.*

Cum hac occasione iterum transeundum sit per  
regionem antiquæ urbis Kourii, stationem ibi facimus  
ad videndas duas res, quas pridie, deficiente tempore,  
prætermisimus: stadium dico et Apollinis sanctuarium.  
Postea iter adhuc est longiusculum; de ræda naturam  
circum circa aspicio, viridiorem hic quam in reliqua  
insula ceteroquin satis deserta. Coluntur varia poma,  
vinea ratione antiqua disposita, id est humilibus pergu-  
lis suspensa, at nusquam video illa Cypria poma terres-  
tria ubique celebrata, quæ et ego ruri meo emere et  
coquere soleo.

Hodierna Paphos urbs est iucunda, iam valde orien-  
talis si conspicimus balneum Turicum, vias crepidini-  
bus carentes, habitationes domate præbitas.

Sed antiqua Paphos! Quale miraculum! Præter ves-  
tigia theatri, fori, templorum, in domibus Romanis  
(Dionysi, Aionis, Thesei, Orphei) eximia admiramur  
opera musiva, qualia nusquam vidimus nisi in Sicula  
*Piazza Armerina*. Harum lautiarum causa in eo est  
verisimiliter, quod Romani urbem elegerant ut sedem  
proconsulis.

Sedecim chiliometris longius, in vico *Kouklia* ubi  
fuit vetus urbs Palæa Paphos quarto a.Ch.n. sæculo  
derelicta cum condita est Nea Paphos, Aphroditæ sanc-  
tuarium invisere cupimus. Illuc hora quarta perveni-  
mus, ipso temporis momento quo custodes monumen-  
tum claudunt; non tamen multum nobis dolendum  
est, cum sanctuarium ætate christiana deletum sit  
eiusque lapides eruti a vicinis incolis mythicum the-  
saurum quærentibus.

Haud longe abest locus *Petra tou Romiou* vocatus:  
ingens saxum undis quassatum, ubi Aphrodita dicitur  
e spuma esse nata. Hæc est quædam sponsorum sacra  
peregrinatio: cum illuc transimus, nonnulli novi  
coniuges sive in arena sive in aqua photographemata

faciunt memorabilia. Et illic et aliis locis animadvertisimus multos homines, etiam extraneos, nuptias in Veneris insula libenter celebrare.

Ultimus itineris dies montibus *Troodbos* eorumque innumeris monasteriis Byzantinis datur. Hi montes, quorum culmen, mons Olympus, altum est 1951 metra, omni ævo cum parum pervii essent refugium fuerunt hominum quoquo modo vexatorum; ea de causa a monachis Turcos fugientibus multa monasteria ibi sunt condita, quæ etiam Othomanorum tempore servata sunt. Nostris autem temporibus Cyprii eos montes libenter petunt æstate, frigidiusculum aerem quærentes. Est etiam ibi pulcherrima quædam cedrorum silva.

Præterimus vicum *Pano Amiantos*, sic dictum propter amianti sive asbesti fodinas olim prosperas.

Postquam autem compertum est amianti pulverem pulmonibus valde nocere, derelicta est hæc lapidicina.

Ecclesiæ et monasteria in ea regione sunt minima, exteriore parte simplicia, sed intus maxime ornata. Ea potissimum admiramur, quorum nomina sunt: *Ayios Nikolaos tis Stegis* architectura peculiari, nono sæculo conditum, cuius parvula tantum superest ecclesia,



*Paphos: Leda et cygnus.*

*Panayia Phorriotissa* in vico *Asinou*, cuius picturæ habentur ut eximia artis Byzantinæ exempla, *Ayios Ioannis Lampadistis*, in profunda valle ita conditum ut lustratione facta nobis ad rædam iterum ascendentibus longa et ardua detur ambulatio sub ardente sole, *Panagia tou Kykkou* cum magnifica ecclesia et thesauro mirifico, cuius explications Græce et Russice, nullo alio sermone, conscriptæ sunt. Peregrinantur enim illuc multi Russi, qui eas ecclesias piissime colunt. Origo autem harum divitiarum in eo videtur esse, quod sæculo undevicesimo multi agricolæ agros suos monasterio dare malebant, quam vectigalia ab Othomanis imposita solvere.

In reditu, cum iam sero sit, non videmus in vico *Omodbos* feminas acu pingentes: tabernas iam claudunt. Ceterum in libro nostro periegetico legimus raras esse veras telas acu pictas, plerasque enim in Sinis confici...

Et ecce iam Saturni die de reditu cogitandum est. Qui non facilius fit quam huius itineris præparatio: nam in aeroplano cum meridie iam (plus minusque) commode sedeamus, affertur nuntius iniucundus: ob Atheniensis instrumenti radarici defectum avolare non licet. In aeroportum reversi nos ad longam exspectationem paramus, pro certo etiam habentes alterum aeroplanum nos Athenis non esse exspectaturum. Denique post varias sollicitudines singuli domui redduntur, Itala tamen amica infeliciter uno die serius. Nonne dixeramus vivere esse militare? ☺



## MONILE

*- auctore Vidone de Maupassant, interpretibus Erico Palmén †,*

*Ylermi Luttinen, Teiva Oksala, Maija-Leena Kallela -*

**E**rat una ex illis puellis pulcherrimis et venustissimis velut errore quodam fortunæ in familiam officium natis, nullam dotem, nullam spem nullumque remedium habens efficiendi, ut in familiaritatem alii viri divitis et honorabilis admitteretur eiusque sibi amorem conciliaret atque ei nuberet. Quo factum est, ut officialis quidam modestus Ministerii institutionis publicæ eam uxorem duceret.

Ipsa quoque modeste se gerebat, sciens ornamento rum se expertem esse. Dolebat autem omni se dignitate sociali excludi, cum feminæ non gentis aut ordinis nobilitate, sed tantummodo innata sua pulchritudine et venustate et dulcedine et iucunditate et elegantia æstimari solerent; has solas esse dotes, quibus nisæ puellæ vulgares æqualitatem cum nobilioribus feminis assequi possent.

Continuo mærore afficiebatur: sese, quamvis omni urbanitati et splendori natam, in domo miserabili habere, ubi parietes foedissimi, sellæ attritæ, textilia sor didissima essent. Complurium rerum, quas quævis alia mulier eiusdem ordinis ne animadvertisset quidem, pigebat eam ac pudebat. Modica condicione domus suæ Britonicula illa ad immensa desideria impulsa est ac fervidissima somnia de perpolitis vestibulis, quæ orientalibus vestibus parietalibus ornata essent et altis facibus aeneis illuminata, duobus pedisequis proceris, qui brevibus bracis induiti in magnis hemicycliis assedit, ob calorem camini somno captis, porro de aulis magnis serico antiquo vestitis, de supellectile decora et opipare ornata necnon de minoribus aulis elegantibus et odoratis, quæ longis mutuis sermonibus amicissimum destinatæ essent, ac de viris celeberrimis et appetitis, a quibus omnes mulieres in se animum attendi cupidissime sperarent.

Quotienscumque cenæ sumendæ causa ad mensam rotundam stragulo decolorato tectam exadversum maritum suum assederat, qui dempto operculo ollæ: «Ah, nil melius quam hoc eximium iusculum carnarium!» prædicare incipiebat, somnia illi in mentem veniebant de cenis lautissimis, de vasis splendidis argenteis, de vestibus parietalibus, in quibus muri figuris antiquis stipabantur ac silva magica avibus pecularis generis scatebat, porro de cibis exquisitissimis, qui de miris vasis ministrabantur, de lenibus susurris, quos quæ acceperant, dum carnem recentem farionis vel alas attagenis sumunt, Sphingis more subridentes audiebant.

Nihil habebat illa – ne vestimenta quidem elegantia neque ornamenta. Iis ipsis rebus carebat, quas ante omnia amabat et quibus possidendi se creatam esse sentiebat. Utinam suavis et iucunda et invidenda et appetita esse potuisset!

Habebat amicam divitem, sodalem cœnobialem, quam visere iam nolebat – tanto enim mærore semper ab ea rediens se affici sentiebat. Dies noctesque luctu, desiderio, desperatione, anxietate lacrimabat.

Quodam autem vespere maritus eius gaudio elatus domum rediit magnum involucrum manu tenens.

- Ecce, inquit, aliiquid tibi.

Uxor involucrum arripiens fervida mente epistulam aperuit et chartulam inde extraxit, in qua hæc erant scripta:

«Minister institutionis publicæ Georgius Ramponneau dominaque eius dominum dominamque Loisel in ministerium ad convivium vespertinum Lunæ die, duodecimeno mensis Ianuarii, celebrandum honorifice invitant.»

Uxor autem, contra ac maritus ratus erat, nullo ardore capta est. Iracunda chartulam in mensam proiecit ita muttiens:

- Numquid me vis hac moveri invitatione?

- Mea dilecta, putabam te gaudio affici. Numquam foras ire soles; nunc vero occasio id faciendi tibi offeritur, singularis occasio! Plurimum labore consumpsi ad hoc assequendum. Omnes id desiderant; nec facile evenit, ut modesto officiali talia contingent. Ibi omne collegium officialium tibi videre liceat!

Uxor maritum irritata intuens ea, quæ in animo habebat, impatiens expressit:

- Quomodo me vis vestiri illuc ituram?

Id maritus ne cogitaverat quidem; qui ita balbutit:

- Sed stola ista, qua induta theatrum frequantas.

Mihi quidem ea admodum elegans videtur, mihi...

Conticuit stupore affectus et tristis, cum uxorem flentem videret et duas grossas lacrimas ex oculis eius per genas usque ad buccam fluentes; mæsta voce balbutit:

- Quid est? Quid est?

Uxor autem summo labore dolorem suum coercuerat et genas suas madidas tergens quieta respondit:

- Nihil est. Evidem vestibus splendidis carens ab illo convivio abesse cogor. Fac alicui collegæ istam chartulam tradas, cuius uxori meliores sunt vestes quam mihi.

Maritus mæstus ita perrexit:

- Videamus, Mathilda, quanti constet vestitus idoneus, qui in aliis quoque festis adhibeat idemque satis modicus?

Uxor paulisper deliberavit expensas suas æstimans simulque reputans, quantam summam petere auderet sine metu, ne repulsam argumentis firmatam et horro ris plenam ab officiali œconomico ferret.

Tandem hæsitans respondit:



Imagines pinxit  
Rauno Luttinen.

- Nescio exacte dicere, sed credo mihi quadringentos francos satis fore.

Maritus paululum expalluit; namque illam ipsam summam sclopeto emendo reservaverat, ut æstate proxime futura in planicie Nanterrena excursionis particeps fieret cum nonnullis amicis die dominico ad alaudas venandas ituris.

Nihilo minus uxori morem gerens dixit:

- Esto: quadrigentos francos a me accipis. Sed cura, ut pulcherrimam tibi stolam emas.

Iam appetebat dies convivii, sed domina Loisel, quamquam vestem idoneam paraverat, tristis et sollicita et anxia esse videbatur. Quodam vespere maritus ei dixit:

- Quid est? Iam triduum angore aliquo premi videris.

Respondit uxor:

- Me piget, quod nullum habeo ornamentum, nullam margaritam, quam induam. Miserrimus in illo convvio esset aspectus; itaque maluerim eo non ire.

Maritus ei suasit, ut naturales flores indueret.

- Hoc ipso anni tempore id elegantissimum est.

Decem francis duas aut tres rosas magnificas emes.

Uxori id displicebat.

- Non... nihil indignius est quam inter mulieres divites pauperem videri.

Maritus autem exclamavit:

- Quam stupida es! Fac amicam tuam, dominam Forestier adeas eamque roges, ut sua tibi ornamenta commonet. Haud dubie, cum intima eius sis amica, id facere potes.

Lætissimam uxor vocem emisit:

- Ita vero! Quid est, quod ne cogitaveram quidem quicquam eius generis!

Postero die ad amicam se contulit eique de angore suo rettulit. Domina Forestier ad armarium suum spe-

culo munitum adiit et inde magnam thecam expromptam attulit eaque aperta dominæ Loisel dixit:

- Fac eligas, mea dilecta!

Domina Loisel primum armillas, deinde monilia gemmata, tandem crucem Venetam, aurum margaritasque, omnia admirabili opere confecta. Ante speculum ornamenta experiebatur hæsitans, utrum aliquod eorum sumeret necne. Iterum iterumque interrogabat:

- Nonne quicquam aliud habes?

- Nimirum habeo. Fac quæras! Evidem nescio, quid tibi placeat.

Repente in theca nigra velluto instrata monile magnificum repperit. Cor ei inusitato fervore palpitare coepit, manusque id tangentem tremebant. In pectore sibi monile imposuit, ubi vestitum collaris eminentis ornat, atque ecstasi quadam affecta suam in speculo imaginem intuebatur.

Deinde hæsitans, summo angore capta interrogavit:

- Potestne fieri, ut hoc mihi commodes – solummodo hoc?

- Hercle vero fieri potest!

Collo amicæ bracchia circumdedicit fervideque eam amplexa cum thesauro suo celeriter effugit.

Illuxit dies sollemnus. Domina Loisel successu fruebatur; erat enim pulcherrima omnium, elegantissima, venustissima, subridens et lætitia exsultans. Universi viri eam spectabant, nomen eius quærebant et omnia experiebantur, ut cum illa colloquerentur. Omnes adiutores ministerii cum illa saltare cupiebant. Ipse minister animum ei advertit.

Saltabat illa vehementi ardore flagrans, summa voluptate ebria, nihil deliberans, pulchritudinis suæ triumpho, splendore rerum prosperarum, omnium laudibus, omnium admiratione, omnium summis animi affectibus perfruens, hoc plenissimo et dulcissimo in cordibus mulieribus victoriae gaudio in cælum elata.

Exiit e convvio quarta fere hora antelucana.

Maritus eius media fere nocte in quodam parvo conclavi obdormiverat cum tribus aliis viris, quorum uxores libere se oblectare pergebant.

Experrectus e somno uxori in humeris posuit vestimenta modica cotidiana, quæ secum ad exeundum attulerat quorumque aspectus attritus cum elegantia vestium sollemnium discrepabat. Hoc sentiens uxor fugæ se dare voluit, ne a ceteris mulieribus aspiceretur, quæ pretiosa gerebant renonum tegimenta.

Loisel eam retinebat.

- Exspecta paulisper. Foris refrigescis. Rædam advoco.

Sed uxor ei nequaquam aures præbens per scalas descendit. Foras egressi nullam rædam invenerunt et rædarios, quos procul prætervehentes videbant, cla-

mando ad se advocare cōperunt.

Propius ad Sequanam degressi iam rebus desperatis gelu horrebant. Tandem in crepidine tale vetusti generis pilentum nocturnum conspexerunt, qualia Parisiis nonnisi noctu vehuntur, velut interdiu modici sui aspectus pudore capta.

Quo pilento in Viam Martyrum usque ad fores domesticas pervecti tristes ingressi sunt. Mærebat uxor omnia iucunda iam præterisse. Maritus autem de posterio die cogitabat: tum hora decima antemeridiana se in ministerio adesse debere.

Uxor vestimenta humeros suos tegentia ante speculum exuit, ut se ultimum elegantia splendentem videaret. Sed repente vox stridula et acuta ex ore eius exit: nullum sibi iam in collo monile superesse!

Maritus eius, parte vestium iam exuta, eam interrogavit:  
- Quid est?

Uxor prope mentis non compos ad eum conversa balbutit:

- Mihi... mihi... monile dominæ Forestier non iam superest!

Maritus haud minus perturbatus:

- Quid? Non superest? Ita esse non potest!

Adoriuntur monile quærere: eruunt sinus stolæ, limbos pænulæ, omnia. Nusquam id reperiunt.

Quæsivit maritus:

- Pro certo scis tibi e saltatione egredienti id usque in collo fuisse?

- Certe erat; in vestibulo enim ministerii id tetigi.

- Quodsi in via id in terram decidit, hoc fieri audivissemus. Necesse est in ræda relicturn sit.

- Id veri simillimum videtur. Numerum eius notasti?

- Non notavi. Nec tu eum animadvertisisti?

- Non animadvertis.

Maritus et uxor demisso animo alter alteram intuebantur. Tandem ille vestimentis denuo indutus:

- Totam viam, quam peragravimus, pedibus repeatam, si forte mihi contingat, ut id reperiam.

Quo dicto exiit. Uxor veste vespertina non exuta in sella remansit, nihil suscipere valens, nihil cogitans, ne somni quidem quicquam capiens.

Maritus hora septima antemeridiana infecta rediit - nihil enim reppererat.

Deinde, ut rem deferret, in stationem principalem custodum publicorum se contulit; inde in redactiones actorum diurnorum perrexit, ut polliceretur, qui cumque monile repperisset, eum præmio affectum iri; tandem omnia loca perlustravit, quo ire vel exigua spe tenebatur operæ pretium fore.

Uxor eodem, quo affecta erat, horrore extremaque

desperatione nequaquam liberata redditum mariti expectando totum diem consumpsit.

Vesperi maritus pallidus, inani vultu, domum rediit - nihil enim reppererat. Dixit:

- Amicæ tuae scribere debes te claustra monilis eius vitiasse et reficienda curaturam. Ita spatium assequemur deliberandi, qua ratione res expediatur.

Marito dictante uxor scripsit.

Septimana post omnem spem amiserant.

Maritus interim quinque annis senior factus declaravit:

- Consideremus oportet, quo modo istud monile compensari possit.

Postero die cum theca, in qua monile conservatum erat, ad eum mercatorem margaritarum ierunt, cuius nomen in theca inscriptum erat. Hic libellis suis inspectis respondit:

- Domina mea, non ego istud monile vendidi; tantummodo hanc thecam subministravi.

Itaque ire perrexerunt multosque alios mercatores margaritarum visitarunt, ut imaginem in animo eorum ornamenti perditum excitarent ac simile monile reperirent. Ambo se mærore et angore ægrotos esse sentiebant.

In quadam taberna Palatii Regii monile adamantium invenerunt, quod ei, quod quærebant, simillimum esse æstimabant. Quadraginta quidem milibus francorum constabat, sed margaritarius se id pretio deminuto triginta sex milibus francorum venditurum pollicitus est.

Itaque rogaverunt, ne ille per triduum id aliis vendiceret. Convenit etiam, ut, si originale monile ante finem mensis Februarii repertum esset, hoc novum triginta quattuor milibus francorum reciperetur.

Loisel duodeviginti milia francorum habebat a patre hereditate reicta. Reliquam partem pretii in animo habebat se mutuaturum esse.

A quadam mille, ab alio quingentos francois, hinc quinque, illinc tres nummos aureos, qui singuli idem valebant ac viceni franci, mutuatus est. Syngraphis ac pactis insaní pretii se obligavit, feneratorum et omnis generis creditorum se debitorem faciens totam reliquam vitam suam nomenque suum periculo obiecit ignarus, an umquam ea, quibus se obligaverat, explere posset. De rebus futuris anxius, tristissima miseria iam prope oppressus, quantumque salutis physicæ et existimationis amissurus esset, præsagiens novum emit monile mercatorisque in mensa pro eo triginta sex milia francorum posuit.

Cum Domina Loisel monile dominæ Forestier redidisset, hæc ei vultu offenso dixit:

- Id mihi iam dudum reddere debuisti; accidere enim potuit, ut id gerere voluerim.

Domina Forestier thecam non aperuit contra ac metuerat eius amica. Quid cogitavisset domina Forestier, si permutationem animadvertisset? Quid dixisset? Nonne dominam Loisel furem esse iudicavisset?

Domina Loisel vitam horribilem paupertatis cognovit. Nihilo minus sorti suæ statim se accommodare cœpit et quidem animo fortissimo. Debitum illud terrible ei solvendum erat; id sibi solvendum suscepit. Ancillam suam demoverunt; in aliam domum migraverunt; cellulam sub tegulis sitam conduxerunt.

Res domesticas molestas laboresque in culina fastidiosos cognovit. Unguis suis roseis utebatur, quibus vasa adipata et fundos lebetum purgaret. Lintea illota, tunicas pannosque sapone perlita lavabat et linea suspensa exsiccabat; cotidie mane purgamenta auferens per gradus in viam descendebat et aquam supportabat in unoquoque tabulato respirandi causa consistens. Vestibus feminæ vulgaris induita corbemque brachio offenso ferens illa pomarium, condimentarium, macelarium frequentabat, ut alimenta compararet nummis suis miseris ad assem parcens.

Omnibus mensibus syngraphæ solvendæ, aliæ renovandæ erant et tempus nanciscendum.

Maritus vesperi laborabat, ut rationes mercatoris cuiusdam exscriberet et nocte sæpe copias facere solebat quinque assibus per paginam.

Vita talis decem annos duravit.

Post decem annos totam summam, totam, cum fænore reddiderant et fænus etiam fænori solverant.

Domina Loisel nunc senex esse videbatur. Femina fortis, tenax, dura in familia sua paupere facta erat. Impexa, veste muliebri perversa induita manibusque rubro colore affectis magna voce loquebatur pavimentaque lavabat. Nonnumquam autem marito in officio commorante ad fenestram assedit somnians de vespere illo pristino saltationeque illa sollempni, ubi tam pulchra et tam celebrata extiterat.

Quid accidisset, nisi monile perdidisset? Quis sciat? Quis sciat? Nonne est vita mirabilis mutabilisque! Quam parvo opere vos perdi aut servari potestis!

Sed quodam die Dominico, cum ad viam *Champs-Élysées* ad animum suum e laboribus septimanæ recreandum venisset, subito dominam quandam animadvertisit puellam parvam manu ducentem. Domina Forestier fuit illa, femina etiam nunc iuvenis, pulchra, venusta. Domina Loisel commota est. Nonne nunc cum domina Forestier colloqueretur et ei omnibus debitis solutis rem totam narraret? Quidni?

Dominæ Forestier appropinquavit.

- Salve, Iohana.

Hæc autem eam omnino non cognoscens obstupuit,



quod a vetula illa tam familialiter appellata erat.

Domina Forestier balbutit:

- Sed... mea Domina!... Non intellego... Erraveris oportet.

- Certe non. Mathilda Loisel sum.

Amica eius exclamavit.

- Oh!... Væ Mathildæ miseræ, quam plane alia facta es!...

- Ita vero, dies graves habui postquam proxime convenimus; magno mærore affecta sum... et tua est culpa!...

- Mea culpa... Quid ita?

- Nonne monile illud adamantium recordari potes, quod mihi ad festum ministerii commodavisti?

- Certe. Quid ergo?

- Ecce autem id perdidisti.

- Quid? Sane id mihi reddidisti.

Aliud, primo simillimum, tibi reddidi. Iam decem annos id solvimus. Certe intellegis illam rem nobis non facilem fuisse, quod nihil habebamus... Nunc denique res facta est et valde sum contenta.

Domina Forestier constiterat.

- Num dicis te monile adamantium pro ornamento meo substituisse?

- Ita vero. Et tu profecto nihil animadvertisisti?

Certe erant similia.

Et superbe simpliciterque subrisit.

Domina Forestier commotissime utrasque manus eius cepit.

- Væ Mathildæ parvæ meæ miseræ! Namque ornamentum meum adulteratio erat. Maxime quingentis francis constabat!... ☹

Historia edita sub titulo *La parure*  
17.2.1884 in *Le Gaulois*.

# DE IMMENSO CÆLO (III)

## (VIII-XV SÆC.: ASTRONOMIA IN ORBE MAHVMETANO)

*- scripsit Gaius Licoppe -*

**A**ntequam de Copernici successoribus agatur, videamus qualis fuerit astronomia in orbe mahumetano; ibi enim, dum Medio Ævo Europa occidentalis ad barbariem redit, nonnulli progressus fiunt in mathematica et astronomia.

Post Mahumeti mortem (632), Arabum tribus, sub viridi vexillo novæ religionis coniunctæ, intra minus unum sæculum duo magna imperia, Romanum orientale et Persicum, devincere valent, cum ambo exhausta sint terribili bello viginti annorum inter se gesto. Sic fit ut inexspectatum Arabum imperium mox pateat ab India usque ad Hispaniam.

Cum Arabes nullam habeant experientiam magni imperii gubernandi, administratio primum fit lingua singularum regionum, i.e. Persica, Syriaca et Græca. Abd al-Mâlik (685-705), califa stirpis Omeiadum, quæ sedem habet Damasci, iubet administrationem in toto imperio fieri Arabice. Al-Mansûr (754-775), novæ Abbassidarum stirpis, quæ sedem Bagdatum transtulit, iubet ut subditorum libri alicuius momenti in linguam Arabicam vertantur. Manuscripta undique colliguntur, bibliothecæ creantur et translationes in Arabicum plerumque fiunt a christianis aut Iudæis. Califa Hârûn al-Rashid (785-809) «Domum Sapientiae» condit, ubi docti complurium disciplinarum tranquille laborant. Califa al-Mâ'mûn (813-833) etiam dicitur legationem Constantinopolin ad imperatorem Leonem V (813-820) misisse cum interpretibus, qui opera scientifica et philosophica in Arabicum verterent.



Hac imagine monstrantur docti disceptantes in bibliotheca; libri dispositi sunt in pegmatibus.

Ad Antiquorum scientias Arabibus tradendas pertinuerunt nonnullæ doctæ sedes, quæ florere perrexerunt, privatæ quidem, cum anno 391 clausum est Museum Alexandrinum iussu Theodosii I et anno 529 Atheniensis schola neoplatonica iussu Iustiniani I. Post quintum sæculum huiusmodi sedes adhuc exstabant in Ægypto Alexandriæ, in Persia in urbe Gundishapur, in Mesopotamia et Asia Minore Antiochiæ, Nisibe, Harrân, Râs al-Ayn et Kenesrin. Bonum exemplum industriae illius ætatis præbet Alexandriæ Iohannes grammaticus, Philoponus cognominatus (c. 490 - c. 575), qui in *Commentariis de Physica Aristotelica* (517) nonnullos crassos errores refutat ac *Tractatum de astrolabio* edit, primum nobis notum. In orbe Syriaco Severus Sebokht, qui in monasterio Kenesrin laborat (circa 667), commentarios de *Analyticis* Aristotelis scribit necnon varia opera docta, ut de astrolabio et de geographia; videtur etiam esse inter primos, qui astronomiæ et Indicæ computationis elementa receperit et docuerit.

Cum hæ sedes in imperio Arabico inclusæ sint, docti auxilium libenter præbent novis dominis in administratione, rationibus, medicina et astronomia. Astronomus Ibn al-Adamî exeunte nono sæculo refert anno Hegiræ 156 (778) ex India ad califam al-Mansûr venisse virum doctum, librum afferentem, quo exponitur *Siddhânta*, i.e. computatio motuum stellarum, in quo adhibentur novem sifræ<sup>1</sup> et zerum Indici systematis decimalis. Califa iubet hunc librum in Arabicum verti; hoc est initium usus in orbe Arabico sifrarum Indicarum; circa annum 825 Persicus mathematicus Ibn Mûsâ al-Khowârizmî duos tractatus conscribit, unum de algebra, alterum de arithmeticâ, ubi primum Arabice exponit Indicum systema decimalis. Postquam hi tractatus in Hispania duodecimo sæculo in Latinum versi sunt, incohatur in Europa Latina usus sifrarum Arabicarum falso dictarum. Hoc eventum est maximi momenti; solum enim Indico systemate decimali fieri possunt et mathematica et scientiæ modernæ. Notandum est nomen illius al-Khowârizmî Latine factum esse «Algorismi», postea deformatum in «Algorithmus», unde hodiernum vocabulum mathematicum «algorithmus» (Fr. *algorithme*).

Hoc etiam addendum est: tam late ad Orientem patet Arabum imperium, ut contactus habeant cum Sinis, ubi iam ante complura sæcula inventa est charta, i.e. folium candidum ex arborum cortice, lino, canabi aut textili factum; hæc charta facilius fabricatur quam papyrus et pergamenta ac minoris pretii constat. In imperio Arabico charta adhibetur a nono sæculo multumque iuvat diffusionem linguæ Arabicæ, religionis mahumetanæ necnon operum scientificorum.

١ ٢ ٣ ٤ ٥ ٦ ٧ ٨ ٩ ٠  
1 2 3 4 5 6 7 8 9 0

Hæc signa computatoria in orbe mahumetano Medio Ævo vocabantur «figuræ Indicæ».

Post hanc necessariam introductionem interrogandum est quid scientia Arabice scripta ad astronomiam provehendam contulerit. A nono sæculo ad duodecimum floret ætas aurea scientiarum Arabice scriptarum, quæ non solum Bagdati sed etiam multis aliis imperii locis coluntur. Inter eas, mathematica et præsertim astronomia maxime æstimatur, impellente religione mahumetana, quæ eget exactis calendariis cum motibus stellarum errantium, præsertim lunæ, et accurata definitione locorum longitudinum latitudinumque; his enim conficiuntur chartæ geographicæ orbis mahumetani, ut undique credentes Meccæ regionem certe invenire possint, ad quam preces quinques in die sunt faciendæ. Multi astronomi sunt imprimis *muwaqqit*, i.e. viri a quadam meschita pendentes, quorum munus est exacte definire precum tempus.

Initio imperii Arabico astronomia et astrologia habebantur additiciae; ambæ pertinebant ad astrorum scientiam. Postea vero, cum theologi dixissent astrologiam doctrinæ islamicæ adversari, separatae sunt; quo non impeditum est quominus astrologia florere pergeret etiam in aula principum.

Astronomia in imperio Arabico præsertim nititur Ptolemæi opere, quod Græce vocabatur Μεγίστη, postea Arabice factum est *al-Majist* et in fine Latine *Almagestum*. Observationes vero astronomicæ Damasci et Bagdati factæ demonstraverunt, septem sæculis post Ptolemæum, stellas hærentes non septem gradibus loco motas esse, ut ab eius tabulis prædictum erat, sed undecim; cuius erroris causam invenerunt. Res pendet ab errore in angulo axis eclipticæ definiendo; est enim apud Ptolemæum  $23^{\circ}51'20''$  et in traditione Indo-Persica  $24^{\circ}$ , cum demonstratum sit eum re vera esse  $23^{\circ}30'$ , ut adhuc agnoscitur. Astronomi novas tabulas astronomicas confecerunt circa annum 835. Eodem tempore conscribitur *Tractatus de anno solari*, quo proponitur longitudo anni solaris multo exactior quam in *Almagesto*.

Astronomi in orbe mahumetano non solum multa magna instrumenta confecerunt ad accuratiorem stellarum observationem idonea, sed per complura sæcula non desierunt astrolabium planisphaericum a Græcis inventum ad novos usus aptare; in tergo instrumenti, exempli gratia, addiderunt lineas curvatas, quibus a nonnullis urbibus inveniri poterat regio Meccæ.


Ptolemæus ad cosmologicum systema elaborandum centum circiter observationibus uti potuerat, quarum amplius dimidiā partem ipse fecerat. Contra in orbe Arabico a nono sæculo creata sunt observatoria Damasci et Bagdati, quæ magnam collegerunt observationum copiam, id quod fuit prima melioratio astrono-

miæ allata.

Secunda melioratio facta est cum hæ observationes novis instrumentis mathematicis tractatæ sunt. Complures enim mathematici progressus fecerunt in ratiocinandi methodis; eorum optimi sunt Thâbit ibn Qurra (824-901), al-Battâni (855-923) et al-Bîrûnî (973-1048), is qui in computationibus astronomicis algebraam adhibere cœpit. Circa annum 840 Habash trigonometriam sphæricam amplificavit, sinum et cosinum adhibens ex India oriundos et tangentem addens. His progressibus computationes astronomicæ multo faciliores factæ sunt quam in *Almagesto*.

Hi mathematici *Almagesti* schemata geometrica servaverunt, quæ tamen magis magisque obtrectabantur. Sic evenit, ut undecimo sæculo Ibn al-Haytham (935-1031) synthesin increpationum in Ptolemæum conscriberet sub titulo *Dubitanda de Ptolemæo*.

Tertius astronomiæ mahumetanae gradus incohatur tertio decimo sæculo in Persia, ubi iam non regnant Arabes, sed Mongoli. *Marâgha*, in parte septentrionali occidentalique hodiernæ Iraniæ sita, erat mansio æstiva Khani Hulagu, cuius avus erat Genghis Khan, terribilis gentium domitor; ibi anno 1259 exstrui iussit magnum observatorium astronomicum, quod exemplum fuit



Hac imagine ostenditur officina Arabica, ubi charta fabricatur (imago: <http://cerig.efpg.inpg.fr> École internationale du papier, Grenoble).



Hoc astrolabium septimi decimi saeculi Lutetiae servatur in Museo Instituti Mundi Arabici.

insequentium maiorum observatoriorum ante usum telescopii exstructorum Maracandæ (*Samarqand*) quinto decimo saeculo, Constantinopoli ineunte sexto decimo saeculo et in Dania pro Tychone Brahe exeunte sexto decimo saeculo.

Observatorium *Marâgha* situm erat in amœna valle, cuius axis a meridie ad septentrionem tendebat, ita ut quadrans muralis constitui posset secundum Terræ lineam meridianam, unde latitudinem corporum cælestium optime metiri poterant. Quadrans sic vocatur, quia est quarta circuli pars; eius prima descriptio inventitur apud Ptolemæum, sed astronimi mahometani eum excoluerunt; maiores etiam quadrantes fabricaverunt, quibus accuratio fieret astrorum positionis definitio. Programma observatorii *Marâgha* erat triginta annorum, cum planeta a Terra maxime remotus sit Saturnus, cuius circumvectionis periodus est undetriginta annorum.

Observatorium *Marâgha* conceptum est a claro astrologo Nasîr al-Dîn al-Tûsi, Persa, qui antea labrabat in arce *Alamut* pro secta siita-ismaeliana Nizaritorum, qui etiam vocantur *hashishins*. Qua arce anno 1258 ab Hulagu Khano expugnata, al-Tûsi pro novo domino Hulagu laboravit. Ibi, una cum alio claro astrologo, Mu'ayyad al-Dîn al-Urdi, Damasceno, est inceptor tertii gradus astronomiæ mahometanæ, quo illi conantur conflictum solvere inter astronomiam mathematicam et physicam astronomiam; qui conflictus iam apparebat in opere Ptolemæi.

In suam theoreticam explicationem motuum cælestium Ptolemæus singularem notionem introduxerat, cui nomen «punctum æquans». Quamquam hoc punctum astronomis Arabicis videbatur impossibile, novam

theoriam proponere non valuerunt ante tertium decimum saeculum. Tunc duo astronomi observatorii *Marâgha* novam theoriam mathematicam proposuerunt e duobus theorematibus constantem, quorum prius vocatur hodie «lemma de al-Urdi». In hac descriptione punctum æquans tolli potest, servatur tamen vetus notio sphærarum constanti celeritate versantium.

Alterum theorema novæ theoriæ inventum est ab al-Tûsi; is vir anno 1247 novam *Almagesti* editionem divulgavit, ubi complures defectus huius traditionis indicabat necnon difficultates cosmologicas, quæ inde oriebantur. Præcipue obtrectabat Ptolemæi theoriam de latitudinibus. Ad omnes errores traditæ theoriæ corrigendos theorema generale excogitavit, quem explicare hic non est locus. Scire tamen oportet eum demonstravisse e copulatione duorum motuum circularium oriri posse motum linearem; hac demonstratione tollebatur Aristotelis distinctio fundamentalis inter motum linearem, quem tribuebat mundo sublunari, et motum circularem proprium mundi cælestis. Copernicus hoc theorema adhibuit ad eadem problemata solvenda.

Uno saeculo post al-Tusi, Ibn al-Shâfir (1304-1375), etiam in observatorio *Marâgha*, pro Luna quoque theoreticum exemplar proponit multo simplicius quam Ptolemæus, quo eius motus in longitudine et varia- tiones diametri exacte definiuntur.

Sic factum est ut schola astronomica *Marâgha*, quæ usque ad finem quarti decimi saeculi floruit, multo accuratius quam Ptolemæus motus corporum cælestium theoretice definire valuerit ut cum observationibus arte congruerent.

Sexto decimo saeculo, Copernicus ultimus est auctor veteris astronomiæ, cum planetarum motus servet circulares constantesque, sed simul etiam primus est modernæ astronomiæ, qui Solem in medio mundo posuerit et Terræ dederit motum. Cum ipse quoque anomaliam puncti æquantis tollendam in *Commentariolo* (1515) proponit, eadem methodo mathe- matica ac al-Urdi utitur et præsertim eius lemmate, sed non dicit se id invenisse neque ab al-Urdi sumpsisse; al-Urdi contra lemmatis totam demonstrationem mathematicam affert atque dicit hanc novitatem a se inventam esse. Quinquaginta circiter annis post Copernicum vita functum, in commercio epistulari inter Keplerum eiusque magistrum Maestlin apparuit disceptatio de demonstratione lemmatis de al-Urdi, qua carebant opera Copernici. Nimis igitur multæ sunt concusiones inter Copernici opera et ea scholæ *Marâgha*, quam ut fortuitæ esse possint. Quomodo has informationes ille habuerit, historici nondum detexerunt, sed sunt nonnullæ viæ tum directæ, cum indi-

rectæ. Contactus fuisse inter scholam de *Marâgha* et orbem christianum demonstratur a detecta translatione Latina operis de al-Tusi, c.t. *Tabula longitudinum et latitudinum.*

(*continuabitur*)


1. Palæo-Indice: *sânya* = vacuum, Arabice: *sifr*, in Latinitate media: *cifra*.

LIBRI ADHIBITI:

Georges Ifrah, *Histoire universelle des chiffres*, Paris, Seghers, 1981. Inde excerpta est imago 2.

*L'âge d'or des sciences arabes*, exhibitio anno 2006 facta, Paris, Institut du monde arabe, 2005. Inde excerptæ sunt imagines 1, 4 et ea tegumenti.

Ahmed Djebbar, *Une histoire de la science arabe*, Paris, Seuil, 2001.



Venetiis apud Petrum Liechtenstein, 1515.

CLAUDII PTOLEMÆI ALEXANDRINI ASTRONOMORUM  
PRINCIPIS ALMAGESTI SEU MAGNÆ CONSTRUCTIONIS  
LIBER, OMNIUM CÆLESTIUM MOTUUM RATIONEM  
CLARISSIMIS SENTENTIIS ENUCLEANS FAUSTO SIDERE  
INCIPIT. ET PRIMO IN EIUSDEM PRÆFATIO.

Quidam princeps nomine Albuguafe in libro suo (quem Scientiarum electionem et verborum nominavit pulchritudinem) dixit quod hic Ptolemæus fuit vir in disciplinarum scientia præpotens præminens aliis. In duabus artibus subtilis, id est Geometria et Astrologia. Et fecit libros multos, de quorum numero iste est qui Megasiti dicitur, cuius significatio est Maior perfectus. Quem ad linguam volentes convertere Arabicam nomi-

naverunt Almagesti. Hic autem ortus et educatus fuit in Alexandria maiori terra Ægypti, cuius tamen propago de terra Sem et de provincia quæ dicitur Pheuludia. Qui in Alexandria cursus siderum consideravit instrumentis tempore regis Hadriani et aliorum et super considerationes quas Abrachis in Rhodo expertus est opus suum edidit. Ptolemæus vero hic non fuit unus regum Ægypti, qui Ptolemæi vocati sunt, sicut quidam æstiment; sed Ptolemæus fuit eius nomen, ac si aliquis vocaretur Losdrohe aut Cæsar. Hic autem in statu moderatus fuit, colore albus, incessu largus, subtiles habens pedes, in maxilla dextra signum habens rubeum, barba eius spissa et nigra, dentes anteriores habens discoopertos et apertos, os eius parvum,

loquelæ bonæ et dulcis, fortis iræ. Tarde sedabatur. Multum spatiabatur et equitabat, parum comedebat, multum ieiunabat, redolentem habens anhelitum et indumenta nitida. Mortuus est anno vitæ suæ septuagesimo octavo.

Hæc sunt de disciplinis et sapientiis Ptolemæi huius.

Conveniens est intelligenti pro deo verecundari, cum ea quæ ei sunt grata cogitat. Intelligens est qui semper linguam suam refrenat, nisi ad hoc ut deo loquatur. Insipiens est qui sui ipsius ignorat quantitatem. Cum aliquis sibi placet ad hoc deductus est, ut ira dei sit super ipsum. In bono quod deus operatur, quasi bonitatem largi datoris attendere debes, et in malis adversis quasi purgationis et æternæ remunerationis bonitatem. Quanto plus fini appropinquas, bonum cum augmentatione operare. Hominis disciplina sui intellectus socius est, et apud homines intercessor. Non fuit mortuus qui scientiam vivificavit, nec fuit pauper qui intellectui dominatus est. Qui inter sapientes humilior est, sapientiorum extitit, sicut locus profundior magis abundat aquis aliis lacunis. Non disseras nisi cum eo qui veritatem concedit, nec respondeas nisi a te quærenti consilium et cupide recipienti. Tuum consilium non committas nisi qui ipsum celaverit. Qui in mundo permanere voluerit, cor patiens adversitatibus præparet. Parva domus est dolor minor. Plus gaudeas quod non dixisti errorem, quam quod bene dicendo non tacuisti. Cum irasperis non extendas manum ad peccandum, et cum dimissio vindictæ non fuerit debilitas, parce. Ultimæ hominis promissiones canæ sunt. Iustorum corda secretorum sunt monumenta. Qui per alios non corrigitur, nec alii per ipsum corrigentur. Manus intellectuum animarum tenent habenas. Vulgi habenas regere melius est quam multos habere milites. Fiducia est socius consolans; quam licet non consequaris; eam enim angariasti. Securitas solitudinis dolorem removet et pavor multitudinis consolationem aufert. Inter homines altior extitit mundo, qui non curat in cuius manu sit mundus. Invito videtur quod ablatio boni alterius sit sibi bonum. Homines lucrantur censu et census lucrantur homines. Qui scientiam suam ultra astutiam quæ in ipso est extendit, est sicut pastor debilis cum multis ovibus. Qui in dignitate sua multum extollitur, in ammissione eius multum deprimitur. Qui male operando vult celari satis discoopertus est. Qui in mendacio confidit tempestive deficiet ei. Meditatio veritatis extitit clavis. Intercessor est petentis ala. Anima non egreditur a fiducia usque ad mortem. Anima ignorans suo socio magis inimicatur.

Quidam rex invitavit Ptolemæum ad prandium, qui

rogans fore se excusatum, dixit: regibus contingit fere quod contingit considerantibus picturas, quæ cum a longe videntur placent, propinque vero non dulcescunt.

Liber hic Almagesti præclarissimi Ptolemæi Pheuludiensis universam cælestium motuum rationem tredecim dictionibus seu partialibus libris centum et quadraginta quatuor capitulis constantibus aptissime complectitur. (...)

#### CAPITULUM PRIMUM DE SCIENTIÆ HUIUS AD ALIAS EXCELLENTIA ET FINIS EIUS UTILITATE.

Bonum scire fuit quod sapientibus non deviantibus visum est, cum partem speculationis a parte operationis diviserunt, quæ sunt duæ sapientiæ partes. Licet enim contingat ut operatione sit speculatio prius; inter eas tamen non parva existit differentia. Non solum quia etsi quorundam morum honestatem possibile sit pluribus hominibus inesse absque doctrina, non tamen totius scientiam absque doctrina comprehendere est possibile; verum etiam quia plurimum utilitatis consistit in operatione quidem propter plurimam perseverantiam agendi in rebus et in scientia quidem propter augmentum in scientia. Quapropter nobis visus est expeditre nobis ut sciamus metiri operationem cum doctrina principiorum eorum quæ reperiuntur in imaginatione et intellectu, ne quid desit ex inquisitione totius pulchræ rei decentis formæ secundum mensurationis bonitatem, neque in minimis rebus neque in vilibus et ut expendamus plurimum nostri otii et plurimum nostri studii in disciplina scientiæ magnæ et excelsæ et præcipue quæ proprie nominatur scientia.

O quantum bonum fuit quod Aristoteles divisit theoreticam cum eam in tria prima genera distribuit! In naturale videlicet, doctrinale et theologicum. Generatio namque omnis generati ex materia est et forma et motu, neque est possibile ut in aliquo noto unum quidque horum trium solum per se sigillatim stans absque alio videatur; possibile tamen est ut unum absque alio intelligatur. Quod si quis scire querit quæ sit prima causa primi motus, affirmabitur illi accuratius perscrutanti cum illud secundum ordines suos fuerit declaratum, quod est deus invisibilis et immobilis. Species autem theoreticæ qua inquiritur perscrutatio qua scitur quod est in supra altitudine ordinum mundi nominatur Theologica. Et hoc quidem intelligitur separatum esse a substantiis sensibilibus. Species vero theoreticæ qua species materiales investigantur semper alteratæ in album et nigrum et calidum et frigidum et acetosum et dulce et quæ his assimilantur, nomina-

tur Naturalis. Hæc autem natura consistit in rebus antiquis quarum plures sub orbe lunæ moventur vel quæ corrumpuntur vel quæ finiuntur. Speciem vero indicantem demonstrationem specierum formarum et motus eorum quæ localiter moventur, et quantitatem et magnitudinem et tempus et figuram et quæ his similia existunt singillatim ponam, et vocabo eam proprie nomine scientiæ. Et hæc quidem natura quasi medium tenet inter illas duas naturas, non tamen quoniam possibile est ut intelligatur secundum sensum, sicut species comprehenditur naturalis et absque sensu etiam quemadmodum species comprehenditur theologica. Verumetiam quia cum in omnibus essentiis existit actu, ipsa etiam temperantia comiter existit in omnibus essentiis mortalibus et immortalibus et quæ corrumpuntur et quæ non corrumpuntur. In eis autem quæ corrumpuntur existit cum alteratione formæ quæ non separatur a materia, sed in eis quæ non corrumpuntur scilicet in natura cælesti remanet in forma sua absque alteratione.

Quapropter dico quod duo reliqua genera divisionis theoreticæ sola æstimatione cognoscuntur et non scientiæ veritate comprehenduntur. Theologicum videlicet quia numquam videtur nec comprehenditur; naturale vero propter motionem materiæ et levitatem sui cursus et velocitatem suæ alterationis et parvitet suæ moræ. Quare convenientia sapientum numquam in eis expectatur.

Genus vero doctrinale ipsum solum replet eum qui ipsum studiose reponit et vehementi investigatione inquirit, scientia permanente vera absque alteratione et contrarietate, quoniam demonstrationes quæ in ipso sunt secundum vias sunt in quibus non est ambiguitas cum assumantur ex scientia numeri et mensuræ.

Nos autem volumus ut in tota hac scientia in quantum possumus desudemus et præcipue in scientia corporum cælestium. In hac namque scientia semper fit investigatio et consideratio de rebus quæ semper sunt uno modo. Quapropter possibile est ut hæc scientia per se ipsam comprehendatur propter sui declaracionem et sui ordinis bonitatem uno modo semper existentis, quod quidem proprium est scientiæ veræ.

Hæc quoque non parum valet ad reliquorum duorum modorum scientiæ comprehensionem et præcipue scientiæ dei excelsi. Ipsa namque est scientia et via ad sciendum deum altissimum propter rationem cum perscrutatione et intellectu, quæ et eis similia vere et manifeste significant deum qui non alteratur et non movetur neque est accidens neque est factus, quia ipsa nostræ scientiæ quam deo habemus altissimo vicina existit et quia ipsa est semita ducens ad eum. Ipsa

namque sola tamen de rebus semper permanentibus perseveranter inquirit et est de rebus quæ sunt ex genere considerationis eius quod non alteratur et æstimatione ipsius absque opere vicinatur accidentibus quæ sunt in revolutionibus et ordinibus motuum qui sunt in substantiis sensibilibus moventibus et motis sempiternis, in quibus non existit diversitas. Ad genus quoque naturale non parvi extat iuvaminis.

Universalitas enim proprietatis naturæ materialis non videtur neque comprehenditur nisi ex proprietate conversionis motus localis. Quapropter et quod corrumpitur et quod non corrumpitur per motum rectum et circularem sentitur, grave quoque et leve et agens et patiens videntur per motum a medio et per eum qui est ad medium. Præterea in actionibus quoque et honestatibus morum laudabilium non est eius necessitas parva, immo nihil est magis adiuvans ad acuendos oculos mentis nostræ et intellectus ad considerandum ea quæ operibus similantur divinis propter bonitatem moderaminis et æqualitatis et parvitatem arrogantiæ. Et quoniam ipsa facit eum qui perseveranter eam inquirit hanc cælestem pulchritudinem diligere, et dicit eum ad perseverantiam divini studii, et coniungit eum ipsi quod animæ simile est propter bonitatem formæ et assimilat eum creatori suo.

Nos autem laborabimus ut in amore scientiæ semipternorum manentium usque ad terminum quem eorum conditor eis imposuit in sequentibus huius nostri libri addamus. Ea vero huius scientiæ quorum comprehensio iam completa est a scientibus ea non deviantibus scilicet habentibus hanc scientiam et inquirentibus eam cum investigatione et studio addiscemus.

Desideramus vero addere in eis ex declaratione secundum mensuram qua possibile fuerit secundum tempus quod fuit inter nos et eos. De omnibus vero huius scientiæ quæ iam æstimamus fore manifesta et posita et certificata apud nos usque ad hoc nostrum præsens tempus, elaborabimus librum scribere compendiosum absque disputatione et quanto plus possibile est brevem, secundum mensuram tamen qua possibile sit subtiles in arte arithmeticæ eum intelligere. Quia vero tempora completere volumus, ponemus quicquid possibile est conferre et quo indigent ex scientia cælesti in loco sibi proprio et secundum suos ordines. Ne autem liber prolungetur, quæcumque verificata sunt ex eis quæ ab antiquis posita sunt simpliciter solum pertranseam. Quæ vero comprehendere non potuerunt aut aliter quam oportuit posuerunt, elaborabo perficere et speculari secundum quantitatem nostræ virtutis. ☩

## CLARISSIMO PROFESSORI THEODERICO SACRÉ

Diligenter studioseque doctissimas notas ad scriptum meum de carminibus Latinis Taxi legi, quas in numero 170 *Melissæ vulgavisti*, quibus, multis exemplis additis, mones quomodo caute prudenterque agere necesse sit, etiam in operibus æstimandis, maxime temporum actorum cum traditio sit incerta. Quodam loco verbum «erubescendi» quod ad te attinet, adhibes, quod merito atque optimo iure in me cadit. Nam in libris examinandis qui de carminibus Latinis tractarent, quod nihil excusationis habet, scrip-

tum (*Apocrifi tassiani*) anno 1993 publicatum, me effugit, quo Aloisius Poma gravissimis, ut videtur, argumentis docuit, auctorem carminis *Ad nubes* inscripti et duorum epigrammaton non esse Taxum. Dolendum est eum non invenisse quando et ubi sæculo XVI *Ad nubes* sub nomine Frizolii vulgatum esset. Quod speremus nos scire posse cum hic scriptor ab oblivione vindicatus erit! ☩

Paula Marongiu

## MANIFESTO

– *scripsit Vinfridus Czapiewski* –

Iuvenis quidam senem sapientem querens quærebat: «Iam tam per tot annos quæro Deum, sed invenire eum nequo.» Sapiens benigne eum aspexit et subridens narravit fabulam hanc:

Erat olim vir quidam nomine Nasruddinus. Ultero citroque finem transgressus est utens diversis districtibus telonalibus; semper secum egit asinum, nonnumquam duos vel tres. Transportavit in dorsis eorum maximas copias stramenti.

Examinatores telonales non ignorantes eum clam et furtim exportare res diversas semper semperque examinaverunt eum et perscrutati sunt sarcinas. Baculis fusibusque transfixerunt fasces stramentorum; sæpe combusserunt totum stramentum et diligentissime

exploraverunt favillam quærentes id, quod clam exportaret. Nec invenerunt ullam rem suspiciosam. Et Nasruddinus redditus est ditior et ditior.

Postremo, senex factus, emigravit in terram alienam et otio fruebatur. Ibi quidam telonariorum pristinorum obviam occurrit illi et quæsivit: «Nasruddine, nunc vero potes profiteri. Quid erat, quod clam exportavisti et quod numquam invenire potuimus?»

Nasruddinus autem subridens respondit: «Asinos! – Et sapiens: «Ecce, inquit, ita non nemo Deum quærit, qui ante oculos est.» ☩


Secundum *Typisch. Kleine Geschichten für andere Zeiten*, Hamburg, 2007, p. 29.

## DE NOVIS LIBRIS

Helgus NIKITINSKI, *De laudibus Monasterii Westphaliæ metropolis*, Neapoli, La scuola di Pitagora, 2012, 247 p.

Monasterii (*Münster*) numquam fuisti? Urbs tibi non videtur attractiva? Westphalos habes ut fures et fraudatores, ut sæculo quinto decimo autumare audebant quidam «de genere domicellorum» (W. Rolevinck, *De laude antiquæ Saxonie nunc Westphaliæ dictæ*, 1474, cap. X «De excusanda patria nostra in quibusdam»)? Hoc libro, bone lector, perlecto, hæc omnia totus reocabis. Nam Helgus Nikitinski non solum magna doctrina, sed magna etiam lepiditate commendare valuit urbis historiam, mores, birotas, viros illustres, Latinas litteras, cauponas, instituta, monumenta. Convenies Iohannem Murmellium, Hermannum Buschium, Rodolphum Langium, Ferdinandum de Furstenberg, quin etiam Christinam Suecorum reginam. Non sine risu Lipsium leges Westphalicas cenas describentem. Admiraberis Scholæ Paulinæ leges, quarum prima est ut studiosi «Latine semper et ubique» loquantur. Imagines etiam spectabis multas et pulchras. Ac denique, omnibus perspectis, vasa tua colliges... et libro tuo fretus iter facies Monasterium, non aliter ac eruditii viatores qui olim, sæculo septimo decimo, in illis Elzevirianis libris omnia utilia inveniebant de extraneis regionibus, topographiam, historiam, regimen, visu digna, mores.

ISBN 978-88-6542-115-4



Bernhard SCHLINK, *Recitator (Der Vorleser)*, in Latinum convertit Nikolaus GROSS, Senden, Leo Latinus, 2012, 291 p.

*Recitator* sive *Der Vorleser* (a. 1995) opus est in orbe Germanico notissimum, neque alibi ignotum, cum multi recordentur fabulam cinematicam Stephani Daldry (*The Reader*), cuius actrix præcipua, Kate Winslet, ea occasione multa accepit præmia. Auctor autem, Bernhard Schlink, præterea etiam ius publicum philosophiamque iuris Berolini docet in Humboldtiana studiorum universitate.

Historia est tripertita: primum Michael, adulescens, amore coniungitur cum mysteriosa muliere viginti uno annis maiore natu, cui lectiones etiam præbere solet litterarias, usque dum ea subito evanescit. Nonnullis annis post, Michael, iuris alumnus factus, eandem agnoscit inter reas cuiusdam criminis nacistici (*Nazi*); quam in tribunali spectans et auscultans causam lectio-num olim petitarum tandem intellegit: Hanna enim neque legere, neque scribere scit. Iterum post nonnullos annos incipit casetas ad Hannam carcere inclusam mittere, quibus narrationes pro ea recitat. At eo ipso tempore, quo eam e carcere dimissam excepturus est, mulier se laqueo suspendit.

Est ergo historia gravis, non solum amatoria, sed quæ etiam ethicas quæstiones proponit, de culpa, de modo rerum intellegendarum et iudicandarum. Quæ

## Recitator

*Fabula romanica*  
quam theodiscè scripsit  
**Bernhard Schlink**

in Latinum convertit  
**Nikolaus Groß**



Editio prima  
in domo editoriæ, quae appellatur  
**LEO LATINUS**

subtilitates hic lepide doceteque sunt in Latinum translatæ, addito perutili vocabulorum indice.

Nicolaus autem Gross, fabulæ translator, iam diu bene est notus *Melissæ* lectoribus, qui, inter multa alia, in his paginis iam legere potuerint *Werther iuvenis quæ passus sit*, nec nesciunt *Melissæ* domum editoriam nonnullas eiusdem versiones publicavisse, quæ sunt Ieremiæ Gotthelf *Aranea nigra*, Erici Kästner *Baronis Mynchusani mirabilia itinera* et Patricii Süskind *Fragrantia* una cum eximio *Glossario Fragrantiae*.

ISBN 978-3-938905-32-6

José Juan DEL COL, *Diccionario auxiliar español-latino para el uso moderno del latín*, Bahía Blanca, Instituto Superior Juan XXIII, 2007, 1131 p.

Nobis modo allatum est hoc lexicon ante nonnullos iam annos editum, quo permulta continentur (vide paginarum numerum!) vocabula ad vitam hodiernam pertinentia. In proemio auctor disputare non vult, num vivus linguae Latinæ usus utopia sit necne, affirmit autem notitiam cuiuslibet linguae ab ea condicione pendere, ut eam assidue exerceas eaque uti valeas. Quod certe non negabimus. Profitetur etiam se nihil novi proponere, sed e seriis fontibus (Eichenseer, Egger, Mir, Springhetti, aliis multis quorum index enumeratur) ea collegisse, quæ in hoc lexico proponit.

ISBN 978-950-9771-34-5

David B. TAYLOR, *Cancris, carmen didacticon in quatuor libros dispositum*, Gwynedd, DBT, 2012, 42 p.

Poeta cancrum hic hexametris celebrat inter quatuor libros, i.e quattuor conspectus, dispertitis: primo, *Natura* inscripto, ipsa bestiola describitur, quæ palatis

nostris etiam placere solet (*Plena olla per quinque minutæ et viginti / Laurus cum foliis...*). In secundo, sub titulo *Necessitas*, describitur signum zodiaci; in tertio (*Mors*) morbus eiusdem nominis, accuratis additis explicationibus scientificis. In quarta autem parte (*Silentium*) cum agatur de nimio populorum incremento («*diluvium plebis*»), de annonæ difficultatibus inde ortis deque hoc cancro, qui est hominum superbia, poeta meditandas nobis præbet Midæ regis miserias, qui plane punitus est stultitia sua.

Ceterum Bruxellensis Domus Erasmiana novos libros nuper edidit tam pulchros, ut solet, quam doctos:

ERASMUS, *Responsio ad exhortationem Alberti Pii Carporum principis* (1529), ed. Marie Theunissen-Faider, Maison d'Érasme & Brepols, coll. Notulæ, 2011, 2 vol., 850 p.

ISBN 978-2-503-52844-1

Thomas MORE, *Dialogue du réconfort* (1535), in Francogallicum translatum a Germain Marc'hadour et Jocelyne Malhommer, Maison d'Érasme & Brepols, coll. Notulæ, 2011, 592 p.

ISBN 978-2-503-53113-7

Alexandre VANAUTGAERDEN, *Érasme typographe. Humanisme et imprimerie au début du XVI<sup>e</sup> siècle*, Académie royale de Belgique & Droz, 2012, 632 p.

ISBN 978-2-600-01566-0





# *In hoc fasciculo !*

- Iter in insulam Cyprum (II) [F. Deraedt] p. 1  
Monile [G. de Maupassant, E. Palmén, Y. Lutinen, T. Oksala, M.-L. Kallela] p. 4  
De immenso cælo (III) [G. Licoppe] p. 8  
Almagestum [Ptolemæus] p. II  
Professori Th. Sacré [P. Marongiu] p. 14  
Manifesto [V. Czapiewski] p. 14  
Bibliotheca Latina p. 15*

*Imago tegumenti: Numerorum dea duos spectans mathematicos, veterum a dextris cum abaco, novum a sinistris cum cifris (Gregor Reisch, Margarita philosophica, 1504).*

---

## **Libri a Melissa editi, de quibus plura in sede interretiali :**

H. SIENKIEWICZ, *Anthea*

Sive fabula « Eamus ad ipsum » a Petro Angelinio versa, quam denuo edidit atque illustravit Theodericus Sacré. 20 eur.

*Navigare necesse est. Quattuordecim viatoriae narrationes veste Latina induitæ.* Miscellanea Gaio Licoppe dicata edidit Francisca Licoppe-Deraedt. 25 eur.

W. JENNIGES, *Mystagogus Lycius. De historia linguaque Lyciorum*

De Lycia, æqualibus nostris parum nota, conspectus historicus et linguisticus, auctore viro linguarum orientalium peritissimo. 7,5 eur.

G. LICOPPE, *Portus Itius*

In quo agitur de Portu Itio, ubi re vera fuerit, ac de Cæsaris navigatibus in Britanniam. 15 eur.

J. CAPART, *Makita*, in Latinum vertit Francisca Deraedt

De antiqua Ægypto fantastica fabula romancia (de historia cuiusdam muris tempore pharaonum), conscripta a quodam clarissimo Ægyptologo. 12,5 eur.

G. LICOPPE, *Le latin et le politique. Les avatars du latin à travers les âges*  
Adumbratio historiæ linguæ Latinæ, quæ ab antiquis usque ad nostra tempora numquam voluit mori. 10 eur.

I. GOTTHELF, *De Aranea nigra*, in Latinum vertit Nicolaus Gross  
Duplex fabula, partim festiva, partim terrifica, qua præclarus poeta Helvetius narrat vitam agricolarum temporum præteriorum. 10 eur.

MELISSA, folia perenni Latinitati dicata, sexies in anno edita.

Pretium annuæ subnotationis : 15 eur. / 20 \$

BNP Paribas Fortis : 001-6287115-39

BIC : GEBABEBB, IBAN : BE13 0016 2871 1539

